

in necessitate sine irreverentia curri posset. 5^o Sacra Eucharistia nunquam deferenda est nocte, nisi urgeat necessitas et probabile non existat profanationis periculum; quo in casu non neganda est infirmo periclitanti. 6^o Nullus devotionis causa Eucharistiam secum deferre vel apud se habere potest: solus Pontifex maximus habet privilegium ut ante se deferatur. 7^o Eam olim præsentare licebat in criminis dubii purgationem, sicut nunc juramentum in nonnullis casibus defertur: at, juxta disciplinam actualem, id vetatur. Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. 3, cap. 20, n. 2 et 3.

CAPUT QUINTUM.

DE SACRÆ EUCHARISTIÆ SUBJECTO.

Duplex hic exurgit quæstio: 1^o quinam ad sacram Eucharistiam admitti possint, et 2^o quas dispositiones habere debeant.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IIS QUI AD SACRAM EUCHARISTIAM ADMITTI POSSUNT.

Certum est 1^o quoscumque infideles, id est, non valide baptizatos, ad divinum illud sacramentum admitti non posse, quia Baptismus est janua aliorum sacramentorum.

Certum est 2^o hæreticos, schismaticos, apostatas et incredulos ad idem sanctissimum sacramentum non admitte-
ndos esse. *Ratio patet*, et talis semper fuit praxis Ecclesiæ: « Hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia, cujus » nemini alii licet esse participi nisi qui credat vera esse » quæ docemus. » S. Just., Apolog. I, n. 66.

Quædam nobis dicenda sunt 1^o de infantibus et pueris; 2^o de amentibus; 3^o de surdis et mutis; 4^o de peccatoribus et capite damnatis.

1^o De infantibus et pueris.

1^o Infantes baptizati et usum rationis nondum adepti,

Eucharistiam sumentes, gratiæ augmentum suscipiunt, quia status gratiæ sufficit ad fructum hujus sacramenti percipiendum.

2^o Olim apud Latinos mos erat dare infantibus baptizatis et confirmatis sacram Eucharistiam, ut omnes fatentur. S. Cypr., l. de Lapsis, refert, seipso teste, puellam lactentem, in cujus ore immisum fuerat vinum idolis consecratum, postea, sacra vini specie accepta, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpisse luctu abundam jactari, donec totum evomisset: *In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Hæc disciplina, cujus S. Aug., S. Greg. Magnus mentionem faciunt, diu perseveravit: sed tempore S. Th. anno 1274 defuncti, penitus desierat; sanctus Doctor enim ait, 3 part., q. 80, art. 9 ad 3^{um}, sacra mysteria pueris recenter natis danda non esse, *quomodo quidam Græci contrarium faciunt.* Merito usus ille pristinus fuit abrogatus; 1^o quia Eucharistia non nisi sub specie vini dari poterat hujusmodi parvulis, et periculum erat effusionis; 2^o quia parvuli Eucharistiam acceptam sæpe evomebant aut spuebant; 3^o quia sanctissimo Sacramento assuefacti ab infantia, illud postea minus verebantur, etc.

3^o Græci veterem servant consuetudinem dandi Eucharistiam infantibus, post Baptismum et Confirmationem, ut videre est apud Arcudium, l. 3, cap. 40, et *Renaudot*.

4^o Pueris qui usum rationis nondum habent non danda est communio apud nos, etiam in articulo mortis, propter rationes superius expositas, et præsertim quia talis est usus Ecclesiæ Romanæ ubique receptus.

2^o De amentibus.

Perpetuo amentibus omnino neganda est Eucharistia, etiam in articulo mortis: sic S. Th., 3 part., q. 80, art. 9, cum illo omnes theologi et Rituale Romanum sequentibus verbis: « Amentibus seu phreneticis communicare non » licet: licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla » et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si » nullum indignitatis periculum adsit. »

Qui ergo quædam lucida habent intervalla, interea disponi et ad communionem admitti possunt; non vero durante amentia, nisi adsit periculum mortis; quo in casu si usum rationis aliquando habuerint et pie vixerint, S. Th. loco citato, Catechismus concilii Trid., S. Ligorius et alii communiter volunt Eucharistiam eis administrandam esse, si nullum sit irreverentiæ periculum; quia illius fructum percipere possunt et forte illo indigent, si nempe ante amentiam in peccato exstiterint et de illo tantum attritionem habeant. Usus tamen apud nos receptus est ut communio hujusmodi amentibus etiam periclitantibus non tribuatur, nisi aliqua rationis exhibeant signa: hanc praxim suadet Rituale nostrum et eam tradit D. de la Luzerne, *Inst. sur le Rituel*.

Semifatus danda est in articulo mortis et in Paschate, modo aliqualem possint habere notitiam mysteriorum et ad aliquos pietatis sensus excitari; item et a fortiori eis qui sub quibusdam respectibus delirant, non sub aliis, vulgo *les monomanes*: non autem omnino delirantibus aut phreneticis, epilepticis et energumenis, tempore paroxysmi aut convulsionis, propter irreverentiæ periculum: sic S. Ligorius, l. 6, n. 303, plures apud ipsum et ferme Rituale nostrum.

3° De surdis et mutis.

De solis surdis-mutis seu surdis a nativitate hic agitur; alii namque surdi hujus sacramenti non sunt incapaces. Nec surdi a nativitate per se incapaces reputari debent; frequenti enim experientia constat eos accuratas mysteriorum religionis Christianæ notiones acquirere posse. Sollicitudinis est ergo digni pastoris et aliorum sacerdotum curare ut hi omnes pro sua capacitate erudiantur, et ad sacramenta admittantur, tum in vita, tum præsertim in articulo mortis. Ita Rituale nostrum. Si vero defectu eruditionis aut capacitatis nihil intelligant, aut nulla vel omnino insufficientia religionis signa exhibeant, Eucharistia eis deneganda est; S. Ligorius, l. 6, n. 303: non item Extrema-Unctio, si peccare potuisse præsumantur.

4° De peccatoribus et capite damnatis.

Divina Eucharistia modo concedenda, modo neganda est peccatoribus, prout sunt occulti vel notorii, occulte vel publice petunt. Vide quæ hac de re diximus in *Tractatu de Sacramentis in genere*, cap. 6, art. 3.

In Gallia, in Hispania et in Sabaudia non administratur Eucharistia capite damnatis, propter reverentiam tanto sacramento debitam: in Italia vero, in Germania et fere in omnibus aliis provinciis ex indulgentia eis conceditur, non ipso die quo plectendi sunt, sed diebus præcedentibus si bene sint dispositi. Unusquisque disciplinam suæ Ecclesiæ sequatur. Pietati tamen et saluti plectendorum magis consentaneum est divinam Eucharistiam eis vere pœnitentibus non denegare. Ita Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. 3, cap. 20, n. 6, et de Synodo diœces., l. 7, cap. 11, n. 4. Prudentia autem suadet eam non concedere accusatis de crimine et nondum judicatis; quia 1° eo ipso suspecti sunt; 2° periculum esset ne communionem appeterent ex hypocrisi; 3° timendum foret scandalum.

Non ita judicandum est de iis qui propter fidem aut justitiam persecutionem patientes in carceribus detinentur; communio illis procul dubio laudabiliter datur, etiam die supplicii, ac in viaticum, si jam non sint jejuni et mors immineat.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DISPOSITIONIBUS AD SUSCIPIENDAM EUCHARISTIAM REQUISITIS.

Aliæ requiruntur dispositiones ex parte animæ, et aliæ ex parte corporis.

§ I.— De dispositionibus ex parte animæ.

1° Cum divina Eucharistia sit sacramentum vivorum, nullum est dubium quin ad eam cum peccati mortalis conscientia accedere non liceat: nihil aliud esset quam iudicium sibi manducare et bibere, et enorme sacrilegii scelus

admittere. *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat, I Cor. XI, 28.*

2° Qui, communicaturus vel celebraturus, alicujus peccati mortalis est conscius, sacramentalem præmittere tenetur confessionem si possit, idque ex strictissimo Ecclesiæ præcepto; sic enim habet concil. Trid., sess. 13, cap. 7, postquam verba Apostoli retulit: * Ecclesiastica autem » consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, » ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis » contritus sibi videatur, absque præmissa sacramentali » confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, » quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus » quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus » perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis » copia confessarii; quod si, necessitate urgente, sacerdos » absque prævia confessione celebraverit, quamprimum » confiteatur. » Idem repetit in canone 11 et addit: « Si » quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaci- » ter asserere, seu etiam publice disputando defendere » præsumperit, eo ipso excommunicatus existat. »

Ut probabilius docent auctores præceptum istud non esse tantum ecclesiasticum, sed divinum, verbis Apostoli, *Probet autem, etc.*, promulgatum, et consuetudine ecclesiastica transmissum.

Hinc 1° qui vi contritionis perfectæ gratiam sanctificantem jam recuperasset, nihilominus, ad Eucharistiam accessurus vel celebraturus, teneretur sub peccato mortali, habita copia confessarii, confessionem sacramentalem emittere, quia expressum est Ecclesiæ præceptum et in materia gravi.

Hinc 2° qui dubitat an mortaliter peccaverit, confiteri enetur; quia dici non potest illum peccati mortalis non esse conscius, et in dubio pars tutior est eligenda. Est sententia communis et praxis fidelium.

Hinc 3° qui ante communionem recordatur se in bona fide peccatum mortale omisisse, tenetur, juxta communissimam sententiam, illud confiteri si possit; quia 1° peccati mortalis vere est conscius; ac proinde legi Tridentinæ

obnoxius; 2° talis est persuasio fidelium peccatum sic omissum ante communionem ordinariæ declarantium.

Alii tamen plurimi recentiores theologi, inter quos *Pontas, Collet, S. Ligorius*, arbitrantur hanc sententiam, licet communem, non esse fundatam; qui enim bona fide confessus est, inquit, vi sacramenti penitentiæ justificatus est; sufficienter se probavit: ergo legem implevit. Tenetur quidem peccatum istud clavibus Ecclesiæ tempore opportuno subijcere, ut præcepto divino de integritate confessionis satisfaciat; sed illud declarare non tenetur ante communionem, nec positivum contritionis actum de illo elicere, quia cum sit justificatus vi confessionis, præcepto Ecclesiæ satisfecit. Praxis fidelium quæ opponitur non habenda est ut regula certa obligationis, sed ut laudabilis usus.

Posterior hæc sententia fundata videtur, semper nobis arrisit et eam libenter sequimur respectu animarum scrupulis vel anxietatibus laborantium: altera vero, quæ est communior et tutior, non est arguenda nec improbanda. Imo laudabile nobis videtur absolvere de novo penitentem peccatum mortale sic confitentem, tum ne ommissio non fuerit inculpabilis, tum ad augendam gratiam sanctificantem. Hæc pro scrupulosis non sunt dicta.

Hinc 4° ex verbis concilii Trid. citatis constat licere communionem suscipere, vel missam celebrare absque præmissa confessione, si necessitas urgeat et desit copia confessarii. Sed tres hic occurrunt difficultates, 1° quid per necessitatem urgentem intelligendum sit; 2° quando nam copia confessarii deesse censeatur; 3° quæ sit latitudo clausulæ *Quamprimum*.

1° *De necessitate urgente*. Per eam non intelligitur qualicumque necessitas, sed gravis. Unde, juxta omnes, non sufficeret festi celebritas, magna devotio, indulgentia lucranda, paupertas sacerdotis qui retributione indiget, etc. Contra vero gravis et urgens reputatur necessitas, 1° si quis absque viatico moriturus sit, nisi missa celebretur; 2° si communio vel celebratio omitti non possit sine scandalo aut infamiæ nota, puta, si communicaturus jam ad sacram men-

sam accesserit, si sacerdos sit ad altare, si missam hac die celebrandam annuntiaverit vel promiserit, et eam sub aliquo prætextu in aliam diem remittere non possit; 3^o si populus jam convocatus vel convocandus in die festo missam non habiturus sit, nisi parochus aut vices ejus gerens, aut probabiliter alius quilibet sacerdos ad hanc missam celebrandam designatus, in peccato constitutus, eam celebret. Si præceptum audiendi missam non subministret rationem sufficientem, ut multi dicunt contra alios, semper in his casibus adest locus timendi scandalum vel infamiae notam. 4^o Si sacerdos inter celebrandum mortaliter peccet vel peccati mortalis antea commissi recordetur, uni e suis ministris sacerdoti confiteri debet ante consecrationem, si possit; si non possit, vel si post consecrationem tantum id contingat, perfecte conteratur.

2^o *De defectu confessarii.* Copia confessarii deesse non censetur quia confessarius ordinarius est absens, vel quia sacerdos præsens est junior, levior, notior, etc., et alius gravior, doctior, sanctior, minus notus, ætate magis proventus desideraretur. Sic omnes, et ex verbis concilii sequitur. Deesse vero censetur, 1^o si nullus adsit sacerdos, vel si adiri non possit absque magna difficultate, habita ratione itineris, valetudinis, ætatis, aeris, brevitatis temporis, negotiorum quibus vacandum est, etc.; 2^o si adsit sacerdos, sed non approbatus, vel non approbatus in hoc loco, vel surdus aut mutus, aut idiomatis ignarus, aut qui confessionem audire recuset; 3^o si celebraturus habeat peccatum reservatum et tantummodo confessarium pro reservatis non approbatum: probabilius ei tamen confiteri debet peccata non reservata, sive reservatum declaret, ut plures volunt, sive illud reticeat, quod multi fieri posse contendunt, ut vi absolutionis justificationem obtineat, directam super peccatis non reservatis, et indirectam super reservatis. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 265.

3^o *De clausula Quamprimum.* 1^o Hæc clausula ad solos spectat sacerdotes celebrantes: *si... sacerdos absque prævia confessione celebraverit...* 2^o Non solum exprimit consilium, sed verum præceptum; nam Alexander VII sequen-

tem damnavit propositionem: « Mandatum Tridentini » factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato » mortali confitendi quamprimum, est consilium, non » præceptum. » 3^o Certum est hoc præceptum diu protrahi non posse; Alexander enim VII hanc alteram damnavit propositionem: « Illa particula, *quamprimum,* » intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur. » 4^o Communius docent auctores illud implendum esse intra triduum, et prius si qua ratio id suadeat, v. g., quia occurrit confessarius, et, occasione transacta, non cito inveniretur; vel quia cras eadem urgeret celebrandi necessitas, etc.

In omni casu, qui cum peccato absque prævia confessione celebrat, perfecte conteri tenetur, alioquin sacrilegii reus fiet.

Nota 1^o. Requiritur insuper cognitio mysterii sacrae Eucharistiae sufficiens, ut eam suscepturus censeatur discretus relative ad hoc sacramentum, juxta concilii Lateranensis IV infra citanda.

Nota 2^o. Præter dispositiones huc usque requisitas ut sacra Eucharistia non indigne suscipiatur, aliæ præmittendæ sunt ut divinissimum illud sacramentum debite colatur et cum abundantiori fructu percipiatur, nempe actus fidei, spei, charitatis, contritionis, desiderii, etc., ut indicatur in catechismo et in libris asceticis.

§ II. — De dispositionibus ex parte corporis.

Duplex ex parte corporis requiritur dispositio, jejunium scilicet et mundities.

De jejunio.

Duplex distinguitur jejunium: nempe ecclesiasticum de quo hic non agitur, et naturale. Jejunium naturale in eo consistit ut a media nocte nihil sumptum fuerit per modum cibi, potus vel medicinæ. *Ita omnes.*

Hujusmodi jejunium ad Eucharistiam ex præcepto Ecclesiae sub peccato mortali requiritur, ut constat 1^o ex

Patribus : Tertull. ad Uxorem, l. 2, cap. 5 : *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gastes* ; S. Cypr., Epist. 65, refert Christum Eucharistiam post cœnam instituisse, et addit : « Nos autem resurrectionem Domini » mane celebramus ; » S. Aug., Epist., l. 1, Epist. 54, postquam retulit discipulos corpus et sanguinem Christi non jejunos accepisse, ait : « Numquid tamen propterea » calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis » semper accipitur ? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto » ut, in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius » corpus dominicum intraret quam cæteri cibi : nam ideo » per universum orbem mos iste servatur. » 2º Ex variis conciliis, v. g., Carthag. VII, can. 29, Toletan. I, can. 1 ; Constantiensi, sess. 13, dicente : « Generale concilium » declarat, decernit et definit... quod, licet Christus post » cœnam instituerit, et suis discipulis administraverit sub » utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramen- » tum, tamen, hoc non obstante, sacrorum canonum » auctoritas et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et » servat quod hujusmodi sacramentum nec conficiatur » post cœnam, nec sumatur a non jejunis, nisi in casu » infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia » concesso vel admissio, etc. » Ergo.

Olim in aliquibus ecclesiis Africanis sacerdotes post cœnam celebrabant et fideles communicabant feria quinta Majoris hebdomadæ, in memoriam sanctissimi illius sacramenti quod Christus, propter rationes sibi notas et probabiliter ut vetus pascha novo incipiente desineret, in ipsa cœna instituerat. Ille autem usus, quem S. Aug. commemorat in Epist. superius citata, diu permansit. Concil. Bracarense I, in medio sexti sæculi, can. 16, prohibet ne eo die missæ, soluto jejunio, celebrentur.

Agapæ, id est, pia convivia quæ tempore Apostolorum fieri solebant, probabiliter locum habebant post sanctorum mysteriorum sumptionem : propter abusus non diu substiterunt.

Notanda circa jejunium.

1º Incipiendum est a media nocte, id est, ab initio diei naturalis. Unde qui immediate post mediam noctem, vel etiam inter primum et ultimum horologii ictum, aliquid deglutiret, jam ea die communicare non posset. Si diversa existant horologia discordantia, licet stare ei quod reputatur aliorum regula, et si nulla sit ratio unum aliis præferendi, pars tutior videtur eligenda. Item in dubio negativo, quando quis nescit an post mediam noctem aliquid sumpserit necne, quidquid contrarium plurimi dicant probabilistæ, asserentes in tali dubio existere libertatem, a communione et celebratione abstinendum esse putamus, nisi notabilis adsit ratio communicandi aut celebrandi : si talis existeret ratio, alteram opinionem sequi liceret.

2º Illud præceptum levitatem materiæ non patitur ; non minus enim jejunium naturale per parum quam per multum solvitur, cum in eo præcise situm sit ut, reverentiæ causa, nihil ante corpus Christi sumptum fuerit. Hinc qui micam panis, guttulam vini, aquæ vel alterius liquoris, deliberate vel indeliberate sumpsit, mortaliter peccaret communicando.

3º Sed necesse est ut quod sumitur habeat rationem comestionis vel potationis vel medicinæ, quia juxta communem hominum sensum, eo modo tantum frangitur jejunium naturale. Unde qui decumbendo saccharum ori suo imponit, et dormiens illud post mediam noctem deglutit, non remanet jejunos. Contra vero quod per modum respirationis aut salivæ hauritur, non frangit jejunium. *Hinc* 1º qui causaliter deglutiret cum saliva vel per respirationem pulverem, fumum, culicem vel parvam muscam, guttulam aquæ, os lavando, vini, jusculi, gustando vinum aut jusculum, et statim expuit, lacrymas vel sudores faciem irrigantes, maneret jejunos : non item si hæc ex industria sumeret, quia tunc adesset ratio comestionis vel potationis.

4º Requiritur ut sit ab extra, quod enim ab intrinseco

provenit, etsi voluntarie deglutias, non reputatur trajici per modum cibi aut potus. Ita communiter theologi cum S. Th. Unde dicunt sanguinem ex capite descendentem, ex gingivis manantem, saniem ex pustula oris provenientem, sputa non ejecta, jejunium eucharisticum non frangere. Hinc multi docent reliquias ciborum dentibus adhærentes, absque læsione jejunii translutari posse; quia 1^o non veniunt ab extrinseco; 2^o per modum salivæ sumuntur; 3^o ad præcedentem refectionem pertinent et improprie novam constituunt comestionem. Attamen S. Th., 3 part., quæst. 80, art. 8, ad 4^{um}, ait: « Reliquiæ cibi remanentes in ore, si causaliter translutantur, non impediunt communionem. » Si ergo ex industria translutarentur, communionem impedirent. Ita communius et probabilius theologi, ut *Cabassut, Layman, Sylvius, Vasquez, P. Antoine, Collet, S. Ligorius*, etc. Ad cavendos autem vel tollendos scrupulos, dicendum est cum S. Ligorio, l. 6, n. 279, reliquias a dentibus avulsas et sensibiles expuendas esse, ut docet Bened. XIV, l. 3, cap. 12; sed nullam esse obligationem adhibendi diligentiam ad eas extrahendas, etiamsi prævideantur cum saliva deglutientiæ.

« Eadem ratio est, inquit S. Th. *ibid.* et cum eo generaliter doctores, de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest. »

Rubrica autem Missalis sic se habet (*de defec. disp. corporis, n. 3*): « Si reliquiæ cibi remanentes in ore translutantur, non impediunt communionem, cum non translutantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os deglutiat stilla aquæ præter intentionem. »

5^o Requiritur ut quod sumitur habeat rationem cibi vel potus, seu alterabile sit in stomacho; alioquin, juxta communem concipiendi modum, non esset comestio, nec potatio. Unde 1^o qui res omnino indigestibiles edunt, v. g., capillos, ungues, metallum, vitrum, fragmenta ligni, lapillos, et alia hujusmodi, jejunium probabiliter non solvunt. Quia tamen multi contrarium sentiunt, pars tutior

esset eligenda. 2^o Qui e contra res in stomacho alterabiles, sive nutriant, sive non, deglutirent, ut chartam, paleam, filum ex lino, ceram, medicinam, etc., jam non essent jejuni.

Queritur 1^o an usus tabaci, sive in pulvere, sive in fumigatione, sive in masticatione, jejunium Eucharisticum solvat.

R. 1^o. Concilium Mexicanum, anni 1585, usum tabaci ante missæ celebrationem et communionem stricte prohibuit. Per edictum cardinalis *Borgia*, archiepiscopi Hispalensis, anni 1642, jussi sunt omnes sacerdotes, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ab usu tabaci abstinere una hora ante et post celebrationem. Innocentius XI et Innocentius XI sub eadem pœna veterunt ne quis intra Vaticanam basilicam tabacum sumere auderet, quod jam eodem modo prohibuerat Urbanus VIII fieri intra ecclesiæ diœcesis Hispalensis. Notat autem Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 11, cap. 13, n. 3, hunc usum, olim turpem et indecentem, communi consuetudine fuisse cohonestatum, Benedictum XIII illum in basilica Vaticana permisisse, ac proinde nimium profecto severum fore eum ante Eucharistiæ perceptionem vel missæ celebrationem interdicere.

R. 2^o. Communius tenent auctores, contra *P. Antoine* aliosque nonnullos rigidiores, 1^o tabacum in pulvere, sumptum per nasum, etsi quandoque usque in stomachum trajiciatur, jejunium non solvere, quia per modum comestionis non sumitur, sed per modum attractionis; 2^o nec fumum tabaci, quia non est cibus aut potus, nec per modum comestionis trajicitur; 3^o nec etiam probabilius humorem in masticatione, quia humor tabaci non deglutitur, aut si quædam particulæ deglutiantur, id fit per modum salivæ, non vero per modum comestionis aut potationis.

Cæterum omnes conveniunt talem masticationem ante communionem esse indecentem, et S. Ligorius putat eam a culpa veniali non excusari, nisi aliqua subsit causa: usus tabaci in fumo parum decens etiam videtur, et ab eo omnino abstinendum vult *Dens, t. 5.*

Queritur 2^o an aliqua saltem temporis mora ante vel post Eucharistiæ susceptionem a cibo potuve abstinendum sit.

R. 1^o. Non refert an post cibum potumve quis dormierit vel digestus fuerit ut ad sacram Eucharistiam licite accedat, modo mens ob indigestionem vel insomnietatem non sit turbata. 2^o Olim præcipiebatur jejunium, post sumptionem sacramenti Domini, usque ad sextam vel etiam usque ad vesperam, Decreti 3^a part., dist. 2, can. 23. At præceptum istud jam diu abrogatum erat tempore S. Th., ut ipse ait, 3^a parte, q. 80, art. 8, ad 6^{um}, addens tamen: « Debet esse aliqua mora inter sumptionem hujus sacramenti et reliquos cibos. Unde et in missa oratio sacramentalis actionis post communionem dicitur et communiantes etiam suas privatas orationes dicunt. »

Casus in quibus jejunium ad sumptionem Eucharistiæ non requiritur.

Primus est periculum mortis. Sive enim periculum istud proveniat ex infirmitate, sive ex causa extrinseca, modo sit reale, præceptum jejunii non obligat, nec sacerdos tenetur S. viaticum statim post mediam noctem deferre, ut moribundus illud accipiat jejunus. Si periculum non instaret, communio in sequentem diem differenda esset, ut ad illam servaretur jejunium, supposito quod facile servari posset. Verum si morbus sit periculosus, communio non est scrupulose differenda, nec etiam anticipanda ut ægrotus eam, antequam aliquid sumpserit, suscipiat, si qua ratio suadeat eam differre; v. g., ut convenientius deferatur, ut fideles comitentur.

Ubi infirmitas protrahitur et periculum mortis perseverat, sacra Eucharistia iterum moribundo etiam non jejunato post decem dies, ex Rituali nostro, dari potest non per modum viatici quod semel tantum in eadem infirmitate administratur, sed modo consueto, ad satisfaciendum devotioni. Ægrotus bene disposito et jejunium servanti multo crebrius divinum illud sacramentum tribui posset. Si ægrotus qui saniores habuerit statum, in novum incidat

periculum, sacramentum ei etiam non jejunato dandum erit, licet decem dies ab ultima communione in viatico non effluerint. Sic habet expresse Rituale nostrum.

Ægrotus vel infirmus in periculo mortis non constitutus in viatico sacram Eucharistiam suscipere non potest, ne tempore quidem paschali: unde si manere non possit jejunus et divina Eucharistia ei convenienter deferri non possit immediate saltem post mediam noctem, a præcepto communionis paschalis excusatur, quamdiu durat infirmitas.

Secundus casus est necessitas perficiendi sacrificium, si nempe 1^o sacerdos post consecrationem moriatur aut deficiat, et alius non sit sacerdos jejunus qui missam continuare possit; 2^o si celebrans in sumptione calicis tantum advertat fuisse aquam pro vino; 3^o si post consecrationem recordetur se non esse jejunum, quia præceptum divinum perficiendi sacrificium præcepto servandi jejunium præstat. Si ante consecrationem adverteret se aliquid sumpsisse, secluso scandalo et infamiæ nota, ab altari recedere deberet, inquit S. Th., q. 83, art. 6, ad 2, et generaliter theologi cum illo. At, nisi privatim celebraret, fere semper in eo casu esset locus scandalum vel infamiam timendi. Non item si missa non esset incepta, quia dicere posset se ex inadvertentia aliquid comedissee vel bibisse.

Tertius casus est periculum profanationis, ubi videlicet timetur ne sacra Eucharistia ab hæreticis vel incredulis conculectur, comburatur, ab animali devoretur, etc., a sacerdote vel etiam a laico non jejunato consumenda est, si desit jejunus; quia lex jejunii in honorem sacramenti constituta in tali hypothesis cessat.

Quartus casus est si sacerdos, post ablutionem, reperiat particulas a se in eadem missa consecratas, et adhuc vestibus sacris sit indutus, eas consumere debet, quia sunt velut complementum sacrificii quod jejunus inchoavit; etiamsi in sacristia jam esset, sed nondum vestibus sacris exutus, idem facere posset, quia eadem actio censetur perseverare. Ratione contraria, reliquias alterius sacrificii, sive a se, sive ab alio consecrati, sic absumere non posset,

nec particulas ultimi sacrificii, si jam exutus esset. Ita Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. 3, cap. 17, n. 5. Eas igitur reverenter deponeret in tabernaculo, vel in corporali reservaret, in proximo sacrificio ante ablutionem sumendas. Si vero periculum irreverentiæ esset, quia non est tabernaculum ubi missa celebrata est nec alius sacerdos celebraturus, sacerdos etiam vestibus exutus particulas sumere posset et deberet (*Bened. XIV ibid.*, n. 6).

5º Valde controvertitur an sacerdos non jejunus celebrare debeat aut possit, ne moribundus viatico careat. *Multi affirmant*, dicentes 1º præceptum divinum communicandi in articulo mortis ecclesiastico jejunii præstare; 2º Ecclesiam, quæ ægrotum a lege jejunii exemptum declaravit, sacerdotem in casu supposito illa lege obligatum velle non censi. 3º Præceptum præmittendæ confessionis, quando sacerdos peccati mortalis reus est, in quibusdam casibus non obligare. *A pari*, ubi de præcepto jejunii agitur. *Alii tamen communius et probabilius negant*, et contendunt 1º præceptum divinum communicandi in articulo mortis non obligare, quando Eucharistia non habetur; 2º Ecclesiam formaliter exemptæ moribundum a lege jejunii, non vero sacerdotem; 3º eum in statu peccati mortalis, non habita copia confessarii, absque confessione celebrare posse ad dandum viaticum, quia per contritionem perfectam supplet confessioni; sed jejunii defectum supplere non potest. Excipiunt casum quo ipse sacerdos non jejunus in periculo proximo constitueretur; omnes enim fatentur eum celebrare posse, ne sancto viatico privatus decedat, quia lex jejunii non obligat eum qui in periculo mortis constituitur.

De munditie corporis.

Quæ ad actus castitati oppositos spectant, in supplemento ad Tractatum *de Matrimonio* sufficienter exposuimus; nonnulla tamen ad munditiam corporis attinentia hic notanda sunt:

1º Qui externam habet maculam delebilem, eam reverentiæ causa abstergere debet. Nulla vero est obligatio

abstinendi a communione propter maculam occultam aut publicam, sed indelebilem. *Ita omnes.*

2º Sacerdos infectus lepra vel alia difformitate horrorem excitante, in secreto celebrare potest, sed non in publico, ut in Decretal., l. 3, tit. 7, cap. 4, expresse statuitur.

3º Mulieres in ornatu sancto, modestiam redolente, pectore cooperto, ad sacram communionem accedere debent: si quæ valde indecentes se præsentarent, communicatio eis neganda esset, cum debitis tamen cautionibus ad præcavenda scandala.

4º Nulla lege vetatur ne vir armatus ad sacram synaxim accedat, sed ex decentia et humilitatis causa, milites arma sua deponere solent, nisi ex professione religiosa ea deferant, ut olim equites S. Joannis Hierosolymitani.

5º Sacerdos non celebrans et ad sacram communionem accessurus, superpelliceo et stola induendus est. Ita olim statuerat Concil. Bracarense III, can. 3; sic statuerunt etiam Rituale Romanum: *Sacerdotes vero cum stola communicent*, et Rituale nostrum. Certum est tamen ex omnium confesso, hanc circumstantiam esse duntaxat sub veniali, et nullum esse peccatum eam omittere, si rationabilis causa id fieri suadeat, ut major communicantium numerus.

CAPUT SEXTUM.

DE NECESSITATE EUCHARISTIE.

Quoniam sanctissimum illud sacramentum olim parvulis statim post Baptismum administrabatur, et in Ecclesia Orientali adhuc administratur, quidam arbitrati sunt Græci illud necessarium esse necessitate mediæ, sicut Baptismum: hoc antiquos Patres persuasum habuisse docent Calvinistæ, et in primis *Aubertin* et *Daillé*, quod evidenter falsum est; antiqui Patres enim Eucharistiam tribuebant parvulis tanquam utilem, non vero ut ad salutem necessariam, et ideo vetus ille usus abrogatus est sine